



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 90119339

§. 39. Decreta ac decisiones ejusdm summi Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67683](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67683)

Sæc. XVIII. Latinam. IV. Jacobus de Landis
 A. C. 1734. nis patria Florentinus, S. Congreg-
 tionis Concilii Secretarius, Cardinalis
 Diaconus tit. S. Mariæ in Porticu.

§. XXXIX.

*Decreta ac decisiones Clementis
 Papæ.*

Hoc item anno Clemens XII. Pontifex
 Maximus occasione dubiorum ab
 inde propositorum plures editas Con-
 stituciones ad disciplinæ Ecclesiasticæ
 & Regularis conservationem percutit.
 Et quidem primo Firmanus Casus
 duo hæc movit dubia. I. Utrum
 fraternitates erectæ auctoritate Apo-
 stolica, & habentes propriam Ecclesiam,
 teneantur solvere Cathedralium.
 An ad illud solvendum adstringantur
 etiam Sodalitates, quæ non habent
 propriam Ecclesiam, sed simpliciter
 duntaxat Capellam in honorem San-
 ctorum, sub quorum titulo sunt erectæ.
 Igitur die vigesima quarta Julii
 nuente Papa S. Congregatio Concilii
 respondit ad dubium primum affirma-
 do, ad alterum negando. Die autem
 decimo quarto Januarii Pontifex decla-
 ravit, quod imposterum Fratres Con-
 gregationis Clericorum Regularium
 qui a Scholis piis nomen habent, non

possint epitogio, cum indecens esset, Sæc. XVIII.
 ut solo pallio induti incederent. Ejus- A. C. 1734.
 dem vero Mensis die decima nona Mo-
 nachis Congregationis Cassinensis Ord.
 S. Benedicti vetuit, ne ad Sedem Apo-
 stolicam recurrerent, priusquam im-
 mediatos Congregationis Superiores
 adiissent.

Præterea Pontifex die vigesima
 sexta Januarii speciales confirmavit
 Constitutiones, quæ bonum Regimen
 Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci pro-
 moveretur. Eadem auctoritate die
 decimo septimo Februarii confirmatæ
 fuerunt Constitutiones pro Fratribus
 & Sororibus tertii Ordinis Servorum
 B. M. Virginis in Brasilia. Die autem
 octava Maij Pontifex Fratribus Missio-
 nariis Gallis Ord. Minorum S. Fran-
 cisci Capuccinorum indulgit, ut Missam
 & officium de S. Ludovico Rege in Festo
 ejusdem sancti recitare valeant, visi-
 tantibus vero aliquam ex Ecclesiis præ-
 dictorum Fratrum in eadem festa die
 indulgentiam plenariam ac perpetuam
 die quarta Junii concessit. Septima
 autem ejusdem Mensis die confirma-
 vit decretum, quo Provincia Poloniæ
 Carmelitarum Discalceatorum a Pro-
 vincia Lithuanicæ fuit divisa.

Jam anno supra millesimum sex-
 centesimo decimo nono Paulus V. Pon-
 tifex

Sæc. XVIII.

A. C. 1734.

tifex statuerat, ut omnes Cardinales die, quo Purpura decorantur, septuaginta quinque & totidem post mortem per suos hæredes vel Procuratores Collegii Ministris solvere teneant. Cum autem post Cardinalium obituum hujus summæ solutio non raro ad redibus sat difficulter vel omnino obtineri potuerit, hinc Pontifex decima septima Augusti præcepit, ut hæ pecuniæ a singulis Cardinalibus sua ad hanc dignitatem promotione integro solvantur. Habebatur autem die vigesima Januarii secretum, in quo cant, Consistorium, in quo Pontifex in locum Cardinalis Borgiæ Aluano de Mendoza in Patriarcham Indiarum renuntiavit: quoniam vero in Occidentalibus nulla est Patriarchalis Ecclesia, nec ullum hujusmodi Capitulum, proin Patriarcha non potest ad titulum sui Patriarchatus Episcopalem Consecrationem nec Pallium petere, neque ullam jurisdictionem in Indiarum aut Hispanicarum regionibus exercere, nisi a quædam Ecclesia in partibus infidelium sita conferatur in titulum, cuius consecratione sacram consecrationem in eam Episcopum recipere possit, hinc Pontifex præfatum Mendozam simul Phasalensi Ecclesiæ præfecit.

S. XL